



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Apotheca Spiritvalivm Pharmacorvm Contra Lvem Contagiosam Aliosqve Morbos**

**Wichmans, Augustin**

**Antverpiae, 1626**

Cap. XLV. De S. VVillibrordo Episcopo Traiectensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9653**

*Quod Eligius plantarat,  
 Willibrordus irrigarat,  
 Tanchelinus deuastarat,  
 Norbertus restituit.*

Flandrenses atque Andouerpienses, Frisones quoque & Sæui & barbari quique circa maris littora degentes, quos velut in extremis remotos nullus adhuc prædicationis vomer impresserat, primum eum hostili animo & auersâ mente susceperunt. Postmodum verò cum paulatim per gratiam his verbum Dei insinuare coepisset, pars maxima trucis ac barbari populi relictis idolis, conuersa est ad verum Deum, Christoque subiecta. Ita Audoënus. Festum celebratur Kalendis Decemb. quamuis in festo S. Andreae obierit hora prima noctis.

### C A P. XLV.

#### *De S. Willibrordo Episcopo Traiectensi.*

**S**anctum Willibrordum in Apostolatu Antuerpiensi successorem habuit S. Eligius; habebit etiam in Ordine Tutelarium patrum contra pestem successorem, & utrumque contra eandem adiutorem habebunt Antuerpienses, immò & Belgicum vniuersum, cui fidei Christianæ initia S. Pontifex dedit, ac cum Belgio Orbis Christianus vniuersus. De hoc sancto viro ita scribit Albinus Flaccus Caroli Magni præceptor: Est in ciuitate Treuirensi Monasterium puellarum, quod temporibus B. Willibrordi Episcopi pestis acerrima inuasit. Cuius acerbitate multæ ex ancillis Dei moriebantur: quædam verò longo infirmitatis dolore jacebant in lectulo. Ceteræ nimio

Surius  
 7. Noueb.



mio terrore turbatæ quasi præsentem mortem metuebant. & quia propè erat prædictæ ciuitati sancti viri monasterium quod appellatur Epternacū, in quo vsque hodie sanctus ille requiescit corpore, & eius posteri ex legitima traditione patris & pijsimorum pietate regum tenere noscuntur, ideò antè dicti feminæ Monasterij, audientes sanctum virum illuc venire, statim miserunt legationem postulantes eum non tardare venire. Qui B. Petri principis Apostolorum mitissimo doctus exemplo, de Ioppe ob viduarum Christi petitionem venientis Lyddam, vt sanctam suscitaret Tabitham, festinus venit audito desiderio ancillarum Christi, ad illas. Et veniens mox in eodem Monasterio Milsâ pro infirmis celebratâ, aquam benedixit, quâ & domos illarum aspergi iussit, & ægrotantibus porandam transmisit. Quæ citò diuinâ donante misericordiâ conualuere, nec vllæ in eo Monasterio prædictâ peste exinde moriebantur. Hactenus Albinus Flaccus. magnum profectò sanitatis beneficiū in necessitate tanta constitutis. Ex quibus patet quàm præsens sit contra pestem remedium, pius aquæ benedictæ vsus per quâ sæpissimè jam vidimus eam propulsatam: ideoque magis ab omnibus frequentandus, quo magis omnibus est obuius.

Fuit verò S. Willibrordus Anglo-Saxo natione, qui cum Suitberto & alijs 10. socijs Euangelij prædicandi causâ ex Britannia in Frisiam an. 690. traiecit, & Ultrajectum, antiquitus Wiltenburg, venit. Inde ad Pipinum Heristallium se conferunt vt prædicandi facultatem, seu potius aduersus idololatrias obliuientem defensionem impetrent. Quo in munere gnauiter agentem, S. Lambertus, è Taxandria agri Brabantini parte quam tunc excolebat, sæpiùs Willibrordum visitat, & cum eo de propagandâ fide cōfert. Willibrordus Româ postea profectus,

Ff 3. à Sergio

Molan. &  
Miræ. in  
falt.



à Sergio Papa ( mutato barbaro & pronuntiatu aspero Willibrod nomine Clemens dictus ) in die & Basilicâ S. Cæcilie anno 696. Frisonum Archiepiscopus ordinatur: hoc est, inquit Molanus, eorum qui hodie dicuntur Frisij, Transiselandi, Traiectenses, Hollandi, Zelandi, Geldri. Dum autem Vlissingam veniret, reliquit ibidem lagenam suam, quam Vlissinges in hunc vsque diem in insignijs vrbs suæ expriment, vt se protestentur eius esse discipulos; legitimos si sequantur: spurios autem, si alieni vocem audiant, qui non venit nisi vt furetur, & mactet & perdat. Sed & in Lotharingia signa Apostolatus sui ostendit plurima, potissimum circa Siluam-ducis & per Campaniam Brabantinam, in qua innumeræ pænè Ecclesie & altaria ei sunt erecta. Nam Brabantia olim nomine Lotharingie inferioris fuit comprehensa, quæ Lotharingia septemdecim has prouincias cum aliquot adiacentibus complectatur; ideoque nonnulli nullâ habitâ distinctione Lotharingie superioris (quæ nunc sola nomen illud obtinet) & inferioris, S. P. N. Norbertum, Lotharingum malè scribunt, quòd Sanctis in Cliuiâ (quæ sub Lotharingia inferiori olim quoque comprehendebatur) natus fuerit. Rursus fidem prædicauit sanctus Villibrordus in Flandria, siue in Occidentali Francia. vnde ad nostra vsque tempora Traiectensi Sedi, inquit Molanus, in Flandria Birflitani, Hulstenses, Axelani & Hasuenses, ab eo ad fidem conuersi. Rohingus etiam Antuerpiensium princeps, eiusque coniux Bebelina, ei donarunt anno septingentesimo vigesimo-quinto, tertiam partem telonei, & Ecclesiam castri Antuerpiensis, quam sanctus Amandus Traiectensis Episcopus construxerat, & quæ etiamnum Ecclesia Castri nuncupatur. de quo vide diplomata Rohingi & testamentum sancti Willibrordi. ex quibus diplomatibus liquet sanctum

Ioan. 10.

Borch-kercke.



Etum Amandum primū vrbis Antuerpiensis Apostolum extitisse. cui successit S. Eligius Nouiomensis ac Tornacensis Episcopus, qui multum laborauit in Flandriā, jugi instantiā Andouerpis decertauit, & multos erroribus implicatos Suevos conuertit, vt Audoenus Rotomagensis Episcopus vitæ eius scriptor loquitur. quo loco per *Suevos*, Florentius Haræus libro primo, capite tertio, de Castellanis insulensibus, intelligit, Zelandos, quos vulgò *Seurven* nuncupamus. Porrò Euangelicam apud Antuerpienses plantationem ab Amando & Eligio inchoatam sanctus Willibrordus perfecit. Hæresim per Tanchelinum postea sparsam, S. P. Norbertus Ordinis nostri Præmonstratensis institutor anno millesimo centesimo vigesimo-seculo profligauit. de quo ita canimus in officio Ecclesiastico:

*Antuerpienses Tanchelinâ hæresi Sacramentariâ dementatos, verbo Dei sanè propinato, ad fidei Catholicæ communionem reduxit.*

O te felicem! ô ter beatam te, mea Antuerpia, Domini gregis nobilem portionem, quæ ab hisce gloriofis Pontificibus, Sacerdotibus magnis, viris Apostolicis plantata, irrigata & in vberriam Catholicæ fidei messem, eorundem suffragantibus meritis, vsque hodie perducta es. Excreuisti hisce cultoribus in exemplum pietatis, nationibus omnibus, vt nemo jam in te Hesperiam, Iberiamque desideret: immò nemo non totâ jam Hesperiam, Iberiam totâ, Antuerpiam desideret. Intueatur, quisquis volet, inueniet Ecclesiastas maximâ nobilissimâque coronâ semper circumcinctos; altaria, omni omnino die, Dominico aut diuorum cuicumque sacro, ad diuinas epulas sitibundâ plebe, circumsepta: templa, prodigiosis suis ædificijs admiranda, inæstimabili pretio, omni que ornatus genere, diuite opulentata voto in eternitatis memoriam semper victura.

Quis



Quis te non admiretur, non laudet, non deprædicet duodeno illo sanctorum numero, veluti coronâ duodecim stellarum lucidissimâ, exornatam, qui solum tuum & lapides platearum tuarum sanctitatis suæ præsentiam illustrarunt; nempe SS. Amando, Eligio, Digna, Gereberno, Willibrordo, Humberto, Alberto, Walburge, Norberto, Fredegando, Aquinate, Ignatio. Non possum quin tam solidæ pietatis jugem constantiam, & contra pestem præservatiuam gratiam per eorundem sanctorum suffragia ex meliori voto tibi à Domino exoptem. *ô fiat, fiat!* & fiet profectò, fiet inquam, præ ceteris intercedente hoc S. Pontifice Willibrordo, cuius venerabundum cultum, vnâ cum miraculosa Sanctissimæ Deiparæ imagine, nouâ deuotione in vrbe vestrà auxistis, deuotè Ciuitatis Ciuēs deuotissimi. Ita spero; ita voueo, & omnis melior mentis pro vobis mecum sperat, mecum vouet.

Obijt sanctissimus hic Pontifex VVillibrordus

*Vir virtute potens, diuino plenus amore;*

*Ore sagax, & mente vigil, & feruidus actu,*

anno Domini 739. die 7. Nouemb. & Epternaci, quod est Ducatus Luxemburgensis, & diocesis Treuirensis oppidum, sepelitur; vbi etiamnum quiescit in sui nominis Benedictinorum celebri abbatiâ à se fundatâ. Sunt qui eum à liberali panum distributione vocent VVilligbrodum. Alij etiam Benedictinorum Ordini, sicut Baronius Gregorium Magnum, alijque alios, subtrahere nituntur. Quos in suo sensu relinquo abundare: ego inuidiam mihi non conciliandam existimo.